

et mitissimum nostri Philippi, quo profecto nihil potest tradi salubrius. Expli-
catio vel definitio vltima controuersiae reseruetur cognitioni piae synodi, col-
lectae ex eruditis et piis multarum gentium. Et oremus Deum, vt excitet
aliquem armatum excellenti autoritate, qui ex nostris ecclesiis diuersorum
regnorum possit conuocare et recte gubernare synodum, vt ita sublatis istis 5
multiplicibus dissidiis Corpus doctrinae²⁷⁵ integrum sine ambiguitate trada-
tur posteritati. Interea omnes ecclesiae repurgatae sint concordes neque prop-
ter hanc dissensionem turbetur pius consensus. Simus fratres, simus vnum in
Christo. Omissis vero locutionibus periculosis de vbiuitate, de manducatio-
ne veri corporis impiorum et similibus conueniant doctores nostrarum ecclie-
siarum de vna quadam forma, quae nullas parere possit offendiones. Dicamus 10
cum Paulo, panem esse κοινωνίαν corporis Christi.²⁷⁶ Vsurgentur phrases in
scriptis Philippi traditae et dicatur copiose de fructu, cum hoc sit fundamen-
tum in ista causa.

Aperte etiam fateor me vna cum Philippo libentius retinere phrases Paulinas 15
et Philippicas posteriores quam Augustanae confessionis in hoc articulo, quia
haec generalis est et falsus illi a multis assuitur intellectus. Nondum tunc res
istae ita explicatae erant, et grauissimae erant rationes, quae mouebant
nostros, vt essent circumspecti. Certissimis testimoniis tamen doceri potest,
quendam ex praecipuis sociis confes-[95:]sionis eumque principem tunc 20
palam professum esse non sibi satisfieri in isto articulo a nostris. Quare
expectetur huius propositionis declaratio a pia synodo, aut si quis omnino
eam usurpandam esse contendit, eximantur populo impiae persuasiones et
ostendatur, quod voluit autor vniuersitatem sacramentalem et praeuentiam actio-
nis vel efficacie non pontificium numen stabiliri. Relique vero vt Paulinae 25
nihil habent ambiguitatis et sunt tutiores. Disputationes contentiosas praeser-
tim publicas expedit esse sopitas et, si qui contentiosi ad populum lites et tur-
bas mouent, rectum esse consuluit Philippus tales ab vtraque parte remouere
et substituere modestiores. Rectius autem erudit et instituti in hac parte inter
audidores non habent causam, cur sese a publico coetu et congressu abstra-
hant, etsi sunt adhuc infirmi et incommodae sentientes admixti. Neque decet 30
firmiores facere distractiones in populo neque importuno tempore aut locis
apud rudes de hac causa mouere disputationes, sed pia cum prudentia omnes
occasiones scandalorum et distractionum vitare, semper cogitare, parcendum
esse infirmis, ne horum conscientiae vulnerentur et turbentur, sicut dictum 35
est: „Non deserentes congregationem vestram“²⁷⁷ item: „Nemini sitis offen-

²⁷⁵ Gemeint ist das „Corpus doctrinae Philippicum“: Philipp Melanchthon, CORPVS Doctrinae Christianae. Das ist / Gantze Summa der rechten waren Christlichen Lehre des heiligen Euangelij / nach jnnhalt Göttlicher / Prophetischen vnd Apostolischen Schriften / in etliche Bücher gantz richtig / Gottselig / vnd Christlich verfasset [...], Leipzig 1560 (VD 16 G 2894).

²⁷⁶ Vgl. I Kor 10,16.

²⁷⁷ Hebr 10,25.